

Band X., Nr. 4205, Seite 6-8

Rudolf von Emerkingen schenkt dem Kloster Zwiefalten das Patronatrecht der Kirche in Zell und verkauft ihm das Gut in Emerkingen, an das dieses Recht gebunden ist.

Marchtal, 1292. Ohne Tagesangabe.

In nomine domini. Amen. Omnibus Christi fidelibus huius instrumenti seriem inspecturis Rūdolfus de Anmerchingen notitiam rei geste. Cum sapientum provida persuadeat circumspectio, quod in omnibus contractibus peragendis et peractis negotiis veritati caveatur suffragio litterarum, hoc tamen in contractibus bone fidei et piis negotiis est studiosius peragendum, noverint universi has litteras perlecturi, quod cum ex hereditaria successione quondam mei patris et meorum antecessorum ius patronatus ecclesie Celle penes Zwiveltun Constantiensis dyocesis ad me iure domini pertineret et in possessione eius vel quasi quiescens fuisset, cum auctoritate et consensu expresso venerabilis domini R[udolfi] dei gratia episcopi ecclesie Constantiensis in remedium animarum dictorum meorum parentum idem ius patronatus ecclesie Celle in religiosos in Christo dilectos Eberhardum divina permissione abbatem et conventum monasterii in Zwiveltun ordinis sancti Benedicti Constantiensis dyocesis et in ipsum monasterium Zwiveltun donationis tytulo transtuli et presentibus transfero pure et simpliciter sine omni condicione et pacto cum perfecta stipulatione et sollempnitate debita et consueta. Preterea cum hūba dicta vulgariter Hainrichs Rimhers hūba sita in villa Anmerchingen, cuius ius patronatus dicte ecclesie creditur esse annexum, mihi tytulo proprietatis pertineret, eandem hūbam venditionis tytulo transtuli et transtulisse me presentibus recognosco cum sua universitate et pertinentiis universis in prescriptos . . . abbatem conventum et monasterium antedictum et propter hoc me ab eis recepisse sexaginta marcas argenti ponderis usualis et eandem pecuniam meis usibus applicasse. Insuper in venditione eiusdem hūbe cum consensu emptorum expresso hoc adieci, quod directum dominium eiusdem hūbe in posterum debet penes predictum monasterium Zwiveltun remanere cum attinentiis ipsius hūbe et ego et mei heredes legitimi cum decessero tenere debemus et recipere tytulo feodi eandem hūbam sub censu annuo videlicet duarum librarum cere ponderis usualis ab . . . abbate monasterii Zwiveltun sepedicti. Ad hec ego Rūdolfus predictus mihi in dicta ecclesia Celle dumtaxat pro tempore vite mee omnibus in hac parte meis heredibus exclusis mihi reservo specialiter onus et emolumentum huiusmodi, quod sub protectione et defensione qualibet tenere debeam ecclesiam prelibatam et ob hoc recipere

debeam annis singulis tres mensuras frumenti dicta[s] vulgariter schefel avene mesure in Ehingen pro tempore illo quo Hermannus frater meus rector dicte ecclesie existit. Eo vero cedente vel decedente si vixero tres mesure dicti frumenti mihi debent cum predictis tribus dari annis singulis integraliter et persolvi. Et nichilominus mihi reservo, quod de singulis domibus edificatis in areis pertinentibus dicte ecclesie Celle annis singulis in carnisprivio recipere debeam unum pullum. Et si in dicta ecclesia Celle domibus areis vel aliis eius pertinentiis aliquas insolentias fecero turbando homines in personis devastando res ecclesie vel hominum, hoc emendare debeo et reformare sufficienter infra unum mensem, quod si non fecero, in arbitrio . . . abbatis et maioris partis conventus pretacti monasterii esse debet, utrum hoc dissimulare velint vel me a dicto iure defensionis et perceptionis predictorum avene et pullo- rum remove, quibus obedire debeo in hac parte contradictione qualibet non obstante. Condictum est etiam, quod, si gewerras quascunque habuero, per quas hominibus et rebus dicte ecclesie Celle posset periculum imminere, tunc a iure, quod mihi competit in dicta ecclesia vel domibus prenotatis, recedere debeo totaliter et avenam prescriptam recipere debeo de granario monasterii memorati, cessante vero discordia priori iuri sum integraliter restituendus. Confiteor insuper, quod . . . abbati conventui et monasterio pretaxatis warandiam debitam et defensionem sollicitam prestare debeo de prescriptis iure patronatus et hūba contra fratres consanguineos meos et extraneos quoscunque ubicunque et quandocunque ipsarum utilitas vel necessitas hoc requirit et corporale iuramentum prestiti, quod si predictum ius patronatus vel hūba prelibata vendicetur vel impugnetur ab aliquo, qui ipsum asserat esse feodum vel rem feudalem et evincatur per sententiam diffinitivam, quod sibi res feudalis, tunc omnia que predicti . . . abbas et conventus excogitare poterunt et ordinare, que ad hoc valeant, quod non fraudentur dicto iure patronatus et hūba, hoc facere debeo et implere, ita tamen quod sine meis expensis et dampnis huiusmodi pertractentur. Sane ut prescripta omnia et singula in posterum inviolabiliter et incommutabiliter observentur per me et meos heredes seu successores, renuntio pro me et meis successoribus circa premissa et singula premissorum defensionem non adhibite sollempnitatis exceptioni doli mali non numerate pecunie non tradite non solute auxilio deceptionis ultra dimidium iusti pretii beneficio restitutionis in integrum litteris a sede apostolica legatis eius ab ordinario loci vel aliunde impetratis aut etiam impetrandis omnibus constitutionibus et statutis tam editis quam edendis omni exceptioni privilegio defensionem auxilio ac indulgentiis quibuscunque tam in specie quam in genere omnibusque aliis, que possent obici contra presentes litteras vel aliquod contentum in eis in toto vel in parte in stilo sigillis vel litteris, quibus mediantibus ea que premissa sunt vel ipsorum quodcumque possent per me vel meos successores aliquatenus violari. In quorum testimo-

III

nium et robur firmitatis sepedictis . . abbati et conventui et monasterio in Zwiveltun tradidi et tradidisse me confiteor presentes litteras Hermanni mei fratris rectoris sepedicte ecclesie Celle, Walteri mei fratris militis et mei sigillorum munimine roboratas. Nos Hermannus et Walterus de Anmerchingen fratres predicti Rüd. et heredes in signum nostri consensus expressi alienationis prescripte nostra sigilla appendi fecimus huic scripto.

 Acta sunt hec in claustro Marteln, presentibus reverendis viris . . preposito ibidem et confratribus suis, . . preposito antiquo, Alberto de Phlumern nec non . . fratribus meis predictis ac Ottone milite de Grüningen, Cûnrado advocatione de Meringen, Anshalmo, Reinhardo, Bertoldo et Cûnrado fratribus dictis von dem Stain, Wal. dicto Clingeler, Cûnrado de Enselingen, dicto Luphen fratre suo, Wal. dicto Sturzel civibus in Rüdelingen, Wal. de Hornstain, H. sutore, Ber. converso dicto Phister, Arnaldo dicti monasterii notario et aliis pluribus fidedignis, anno domini MCCLXL secundo, indictione V.

—

Textabdruck folgt dem Original.

 An grünen, gelben und lila Seidenfäden drei Siegel. 1) spitzoval, 37, 25 mm., der stehende Siegelinhaber, mit beiden Händen einen nicht mehr zu erkennenden Gegenstand vor die Brust haltend; Umschrift: S . HERMANNI . RECTORIS . I . CELLE. 2) rund, 42 mm., im Schild ein Mauerhacken; Umschrift: . . . WALTHERI . DE . ANEMERKIGE . . . 3) beschädigt, s. WUB, Bd. VIII, S. 383, Nr. 3218.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

B 551 U 1179

Überlieferung und Textkritik:

Original und Papierkopie. War auch im 1944 durch Fliegerangriff verbrannten Diplomatar HStA Stuttgart H 14 Nr. 362, S. 221.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Marchtal

Ortsindex:

Ehingen (Donau) Wohnplatz (16771)
 Ehingen (Donau), UL
 Emerkingen Wohnplatz (16806)
 Emerkingen, UL
 Grüningen Wohnplatz (17484)
 Grüningen, Riedlingen, BC
 Hornstein Wohnplatz (21053)
 Hornstein, Bingen, SIG
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Langenenslingen Wohnplatz (17347)
 Langenenslingen, BC
 Möhringen Wohnplatz (17710)
 Möhringen, Unlingen, BC
 Obermarchtal Wohnplatz (16905)
 Obermarchtal, UL
 Pflummern Wohnplatz (17486)
 Pflummern, Riedlingen, BC
 Rechtenstein Wohnplatz (16926)
 Rechtenstein, UL
 Riedlingen Wohnplatz (17487)
 Riedlingen, BC
 Zell Wohnplatz (17489)
 Zell, Riedlingen, BC
 Zwiefalten Wohnplatz (16028)
 Zwiefalten, RT